

quærebam uvam, et inveni spinas : sine causa aliud atque aliud suspicamini et opinamini, nolentes intelligere ut bene agatis. Nam et hoc scriptum est : « Noluit intelligere » ut bene ageret¹. » Tollite omnes suspiciones vestras de medio : « Vineam Domini Sabaoth, domus Israël est; et » homo Juda, novellum dilectum². » Dilectum, cum plantatum est : damnatum, cum spinas creavit. Ergo, fratres, forte vinea fuit domus Israël, et nos non sumus vinea? Cum timore audiamus quod Judæis dictum videmus. Videte quemadmodum Apostolus terreat ramos insertos de ramis fractis³, et in ramis fractis commendet timendam severitatem, in ramis insertis commendet amandam bonitatem. Noli esse infructuosus in bonitate, ne sterilis sentias severitatem. Sed non sum vitis, dicis mihi. Ubi est Domini vox : « Ego sum vitis, vos estis sarmenta, » Pater meus agricola⁴? » Ubi vox Apostoli : « Quis plantat » vineam, et de fructu ejus non percipit⁵ » Vineam ergo es, o Ecclesia, et habes agricolam Deum. Nemo agricola homo compluit vineam suam. Fratres ergo dilectissimi, viscera Ecclesiæ, pignora Ecclesiæ, filii matris coelestis, audite, cum tempus est. Minatus est Deus illi vineæ atrocissima comminatione : « Mandabo nubibus meis, inquit, » ne pluant super eam. » Et factum est : venerunt Apostoli ad Judæos, respuerunt eos; et dixerunt illis : « Ad » vos missi eramus, sed quia repulistis verbum Dei, imus » ad Gentes⁶. » Videtis quomodo in eodem Spiritu Dei, illo jubente intrinsecus qui habitat in cordibus suorum, mandatum sit nubibus Dei ne compluerent vineam, quæ cum expectaretur ut faceret uvam, fecit spinas⁷. Ideo et nubes fecit ascensum ejus, et coelum tetendit sicut pellem. Non est quod queramini : auctoritas Scripturarum extenta

¹ Psal. xxxv, 4. — ² Isaï. v, 1 et 7. — ³ Rom. xi, 20-22. — ⁴ Joan. xv, 1 et 5. — ⁵ 1 Cor. ix, 7. — ⁶ Act. xiii, 46. — ⁷ Isaï. v, 4.

est super orbem terrarum, nubes non desunt, prædicatur verbum veritatis, exponuntur omnia quæ obscura sunt, ut corda vestra per nubes ascendant. Videte quomodo credatis, videte quid suscipiatis : post prædicatorem veniet iudex, post dispensatorem veniet exactor. « Qui ponit » nubes ascensum ejus. »

XII. « Qui ambulat super pennas ventorum. » Hoc jam periculosum est accipere ad litteram. Aut quæ sunt pennæ ventorum? Aut vero quomodo in pictura, facturi nobis sumus ventos volantes, et alas habentes? Ventus non est. Fratres, nisi quem sentimus, motus quidam et quasi fluctus aëris, impellens quod potest pro viribus? Quæ pennæ ventorum sunt? Sed et quæ alæ Dei? Et tamen dictum est : « Sub umbra alarum tuarum sperabunt¹. » Conemur ergo et hoc accipere ad litteram, veluti proprie factum in creatura ista. Velocitatem verbi fortasse commendat Scriptura; de qua velocitate jam pridem in alio Psalmo locuti sumus, ubi scriptum est : « Usque in velocitatem » currit verbum ejus². » Quia nihil ventis velocius norunt homines. Quomodo illa facilitas commendabatur in pelle; nihil enim facilius ab homine quam pellis extenditur : sic et hic insinuans Deum vel Verbum ejus ubique præsentem, velocitate motus nihil deserere, quia tu non noveras aliquid vento velocius : « Ambulat, inquit, super pennas » ventorum, » id est, velocitas ejus superat velocitatem ventorum : ut per pennas ventorum intelligas velocitatem ventorum, et verbum Dei intelligas velocius omnibus ventis. Et sic in prima facie considerationis : pulsemus ad aliquid interius, et figurate aliquid nobis indicent istæ litteræ.

XIII. Ventos quidem intelligimus in figura non absurde animas : non quia ventus est anima, sed quia invi-

¹ Psal. xxxv, 8. — ² Id. cxlvii, 15.

sibilis est ventus; quamvis res corporea, corpora impellens, tamen quia humani oculi aciem fugit, est autem anima invisibilis, propterea bene intelligimus animas ventos. Inde est quod et Deus insufflasse dicitur spiritum vitæ formato homini: « Et factus est homo in animam viventem¹. » Ergo venti, animæ in allegoria non absurde accipiuntur. Videte autem ne putetis nominata allegoria pantomimi aliquid me dixisse. Nam quædam verba, quoniam verba sunt, et ex lingua procedunt, communia nobis sunt etiam cum rebus ludicris, et non honestis: tamen locum suum habent verba ista in Ecclesia, et locum suum in scena. Non enim ego dixi, quod Apostolus non dixit, cum de duobus filiis Abrahæ diceret: « Quæ » sunt, inquit, in allegoria². » Allegoria dicitur, cum aliquid aliud videtur sonare in verbis, et aliud in intellectu significare. Quomodo dicitur agnus Christus³: numquid pecus? Leo Christus⁴: numquid bestia? Petra Christus⁵: numquid duritia? Mons Christus⁶: numquid tumor terræ? Et sic multa aliud videntur sonare, aliud significare; et vocatur allegoria. Nam qui putat me de theatro dixisse allegoriam, putet et Dominum de amphitheatro dixisse parabolam. Videtis quid faciat civitas, ubi abundant spectacula: in agro securius loquerer; quid sit enim allegoria, non ibi forte didicissent homines, nisi in Scripturis Dei. Ergo quod dicimus allegoriam figuram esse, sacramentum figuratum allegoria est. Et quid hic accipimus: « Ascendit super pennas ventorum? » Diximus, bene accipi figurate ventos animas. Pennæ ventorum, pennæ animarum quæ sunt, nisi a quibus sursum attolluntur? Pennæ ergo animarum virtutes, bona opera, recte facta. In duabus alis habent omnes pennas: omnia

¹ Gen. II, 7. — ² Gal. IV, 24. — ³ Joan. I, 29. — ⁴ Apoc. V, 5. — ⁵ I Cor. X, 4. — ⁶ Dan. II, 35.

enim præcepta in duobus præceptis sunt. Quisquis dilexerit Deum et proximum, animam habet pennatam, liberis alis, sancto amore volantem ad Dominum. Quicumque implicatur amore carnali, viscum habet in pennis. Nam si anima non habet alas et pennas, unde ille gemens in tribulationibus dicit: « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? » Et sequitur: « Et volabo, et requiescam¹. » Item alio loco: « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu ibi es; si descendero ad infernum, ades: si accepero pennas meas sicut columba, et volabo in extrema maris². » Tanquam diceret: Sic possum fugere a facie iræ tuæ, si accepero pennas ut columba, et volavero in extrema maris. In extrema maris volare, est spem jam prætereundam in finem sæculi, quomodo ille qui ait: « Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima³. » Et quomodo venit in extrema maris, etiam acceptis pennis? « Etenim illuc, inquit, manus tua deducet me, et perducet me dextera tua⁴. » Nam et cum pennis meis casura sum, nisi tu deducas. Ergo alas habent bonas et liberas et nullo visco obligatas, animæ bene operantes præcepta Dei, habentes charitatem de conscientia pura et fide non ficta⁵. Sed quantumvis sint præditæ virtutibus charitatis, quid ad illam dilectionem Dei, qua sunt dilectæ, etiam cum visco essent implicatæ? Major ergo in nos dilectio Dei, quam nostra in illum. Nostra dilectio pennæ nostræ sunt: sed ille « Ambulat et » super pennas ventorum. »

XIV. Jam dicebat quibusdam Apostolus: « Flecto genua mea pro vobis ad Patrem, ut det vobis secundum interiorem hominem habitare Christum per fidem in

¹ Psal. LIV, 7. — ² Id. CXXXVIII, 7-10. — ³ Id. LXXII, 16, 17. — ⁴ Id. CXXXVIII, 10. — ⁵ I Tim. I, 5.

» in cordibus vestris, ut in charitate radicati et fundati.» Jam dat illis charitatem, jam dat illis alas et pennas. « Ut » possitis, inquit, comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, altitudo et profundum¹. » Fortassis crucem Domini significat. Erat enim latitudo, in qua porrectæ sunt manus; longitudo a terra surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo, ab illo devexo ligno sursum quod eminet; profundum, ubi fixa erat crux, et ibi omnis spes vitæ nostræ. Latitudo enim est in bonis operibus, longitudo in perseverando usque in finem, altitudo propter Sursum cor, ut omnia bona opera nostra, in quibus perseveramus usque in finem, habentes latitudinem qua bene operamur, et longitudinem qua perseveramus usque in finem, non faciamus nisi spe coelestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum: ne dicatur nobis: « Amen dico vobis, perceperunt » mercedem suam². » Profundum autem quod dixi, ubi fixa erat pars crucis, et non videbatur; inde surgebant, quæ videbantur. Quid est quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum baptismi, sacramentum Eucharistiæ. Opera enim nostra bona vident et Pagani, sacramenta vero occultantur illis: sed ab his quæ non vident, surgunt illa quæ vident; sicut a profundo crucis quod in terra figitur, surgit tota crux quæ apparet et cernitur. Et quid postea? Cum hoc dixisset Apostolus, adjecit: « Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi³: » cum jam dictum fuisset: « In charitate » radicati et fundati. » Amatis enim Christum, et ideo in cruce operamini. Sed numquid amatis, quantum vos ille amavit? Amando autem quantumcumque amatis, volatis ad ipsum, ut cognoscatis quemadmodum ipse vos amaverit: hoc est, ut sciatis supereminentiam charitatis Christi.

¹ Ephes. iii, 14-18. — ² Matth. vi, 2. — ³ Ephes. iii, 14 et 19.

Amatis enim vos quantum potestis, et volatis quantum potestis: sed ille ambulat et super pennas ventorum. « Qui » ambulat super pennas ventorum. »

XV. « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos » ignem flagrantem¹. » Et hoc, quamvis non videamus apparitionem Angelorum; abscondita est enim ab oculis nostris, et est in quadam republica magna imperatoris Dei; tamen esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt; et cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, spiritus est; quæris officium, Angelus est: ex eo quod est, spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est. Vide illud in homine. Nomen naturæ homo, officii miles: nomen naturæ vir, officii præco: homo enim fit præco; id est, qui homo erat fit præco, non qui erat præco fit homo. Sic ergo qui erant jam spiritus conditi a creatore Deo, facit eos Angelos mittendo eos nuntiare quod jusserit, et ignem flagrantem facit ministros suos. Legimus apparuisse ignem in rubo², legimus etiam missum ignem desuper, et implesse quod præceptum est. Ministravit ergo, cum impleret: cum esset, in natura sua erat: cum egit quod jussum est, ministerium implevit. Sic secundum litteram in creatura.

XVI. Quid est autem in Ecclesia figurate? Quomodo accipimus, « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros » suos ignem flagrantem? » Spiritus spiritales dicit. Bene facit Angelos suos spiritales, id est, nuntios verbi sui. « Spiritalis enim omnia judicat, ipse autem a nemine » dijudicatur³. » Vide spiritalem factum Angelum Dei. « Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritualibus, sed

¹ Psal. ciii, 4. — ² Exod. iii, 2. — ³ 1 Cor. ii, 15.

» quasi carnalibus ¹. » De spiritali quadam affectione missus est ad carnales, tanquam Angelus de cœlo ad terram. Quomodo dicit: « Et ministros suos ignem flagrantem, » nisi quomodo dicit: « Spiritu ferventes? » Sic enim fervens spiritu, ignis ardens est omnis minister Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne ardebat? Et quis ille ignis erat, quando lapidabatur, et pro eis a quibus lapidabatur rogabat ²? Cum audis, Ignis est minister Dei, incensurum illum putas? Incendat licet, sed fœnum tuum, id est, carnalia omnia desideria tua urat minister Dei, prædicans verbum Dei. Audi illum: « Sic nos existimet homo, quasi ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ³. » Quomodo autem ardebat, cum diceret: « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est ⁴. » Ardebat et flagrabat charitate, et ibat in eos ut incenderet. Hunc ignem se missurum Dominus in terram dicebat, cum ait: « Ignem veni mittere in terram ⁵. » Quomodo gladium, sic ignem ⁶. Gladius dividit affectum carnalem, ignis absumit. Totum in verbo Dei intellige, totum in spiritu Dei cognosce. Incipe fervere charitate per verbum quod audis, et vide quid in te fecerit ignis minister Dei. « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem. »

XVII. « Fundavit terram super firmitatem ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi ⁷. » De terra ista hoc accipere, nescio utrum habeat ullum exitum, utrum recte dicatur: « Non inclinabitur in sæculum sæculi: » de qua dictum est: « Cœlum et terra transient ⁸. » Laboratur hic, si ad litteram quæras accipere. Nam quod ait: « Fundavit terram super firmitatem ejus: » fortasse quædam

¹ 1 Cor. iii, 1. — ² Rom. xii, 11. — ³ Act. vii, 59. — ⁴ 1 Cor. iv, 1. — ⁵ 2 Cor. vi, 11. — ⁶ Luc. xii, 49. — ⁷ Matth. x, 14. — ⁸ Psal. cxi, 7. — ⁹ Matth. xxiv, 35.

est firmitas occulta nobis, quæ continet terram: et hoc dixit: « Fundavit. » Super quid? Super firmitatem ipsius terræ, quam ei supposuit, ut contineretur, quæ latet forte oculos tuos. Sint ista occulta in creatura, non de obscuritate creaturæ Creator latebit: quæ possumus videamus, ex his quæ videmus illum laudemus, et amemus. Convertamus nos ad quærendum aliquid hic in figura positum. « Fundavit terram, » intelligo Ecclesiam. » Do mini est terra et plenitudo ejus ¹: » intelligo Ecclesiam terram. Ipsa est terra sitiens, ipsa est quæ dicit in Psalmis; una enim dicit ex omnibus: « Anima mea sicut terra sine aqua tibi ². » Quid est, « Sine aqua? » Sitiens. « Sic » sicut anima mea ad te, tanquam terra sine aqua: » nisi enim sicut, non recte irrigabitur. Animæ ebrizæ pluvia diluvium est, sicut oportet. « Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam ³: » et dicat: « Anima mea tanquam terra sine aqua tibi: » quia dicit alibi: « Sitivit anima mea in Deum vivum ⁴. » Terram ergo intelligo Ecclesiam. Quæ est firmitas ejus, super quam fundata est, nisi fundamentum ejus? An incongrue intelligimus firmitatem, super quam fundata est terra, fundamentum ubi constituta est Ecclesia? Quod est illud fundamentum? « Fundamentum, inquit, nemo potest ponere præterquam quod positum est, quod est Christus Jesus ⁵. » Ibi ergo firmati sumus. Merito quia ibi firmati, non inclinabimur in sæculum sæculi: nihil enim firmitus isto fundamento. Infirmus tu eras, sed firmum fundamentum te portat. In te firmus esse non poteris: firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas. « Non inclinabitur in sæculum sæculi. » Ipsa est prædestinata columna et firmamentum veritatis ⁶.

¹ Psal. xxii, 1. — ² Id. cxlii, 6. — ³ Matth. v, 6. — ⁴ Psal. xli, 3. — ⁵ 1 Cor. iii, 11. — ⁶ 1 Tim. iii, 15.

XVIII. « Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius :
 » super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fu-
 » gient, a voce tonitrus tui formidabunt. Ascendunt
 » montes, et descendunt campi in locum quem fundasti
 » eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur,
 » neque revertentur tegere terram. Qui emittis fontes in
 » convallibus, inter medium montium pertransibunt
 » aquæ. Potabunt omnes bestię agri, suscipient onagri
 » in sitim suam. Super illos volatilia cœli inhabitabunt,
 » de medio petrarum dabunt vocem suam. Rigans mon-
 » tes de superioribus suis : de fructu operum tuorum sa-
 » tiabitur terra. Producens fœnum jumentis, et herbam
 » servituti hominum. Ut educat panem de terra : et vi-
 » num lætificat cor hominis. Ut exhilaret faciem in oleo :
 » et panis cor hominis confirmat. Satiabuntur ligna cam-
 » pi, et cedri Libani quas plantavit. Illic passerres nidifi-
 » cabunt : fulicæ domus dux est eorum ¹. » Animadver-
 » titis extentum cœlum, vultis intellectu ascendere, et ego
 » video. Quam tamen altum sit, puto quod mecum conside-
 » ret Charitas vestra. Nam ideo multos versus volui pro-
 » nuntiare, ut videatis quam alte sint posita sacramenta
 » Dei, ne fastidiamus oblata, ne prompta vilescant, ut sem-
 » per quæsita etsi cum difficultate, cum majori jucunditate
 » inveniuntur. Inter cætera tamen, fratres, quæ possunt
 » accipi ad litteram; numquid et hoc quod dictum est : « Illic
 » passerres nidificabunt, fulicæ domus dux est eorum? »
 » Numquid domus fulicæ dux est passerum? aut domus fu-
 » licæ, dux est cedrorum? Et hoc enim ibi est, « Et cedri
 » Libani, quas plantavit, illic passerres nidificabunt, fu-
 » licæ domus dux est eorum. » Et quidem latina locu-
 » tionem, eorum cedrorum, non possumus intelligere; cedri
 » enim fœmini generis sunt. Fulicæ itaque domus, quo-

¹ Psal. ciii, 6-17.

modo est dux passerum? Hoc enim in ista creatura, quæ
 oculis nostris adjacet, intelligi nullo pacto potest. Fulicæ
 enim aves esse marinas vel stagnenses novimus. Domus
 fulicæ sit nidus fulicæ : quomodo ergo domus fulicæ dux
 passerum? Quare quædam in rebus visibilibus quasi absurda
 miscet Spiritus sanctus, nisi ut ex eo quod non possumus
 accipere ad litteram, cogat nos ista spiritualiter quærere?

XIX. Ergo si ad cœlum intellectu, ut dixi, ad exten-
 tam pellem vultis ascendere, et nubes fecit ascensionem
 ejus : nubes ista quæ vobis loquitur, invalida est hodie
 ad omnia ista exponenda. Date veniam, etsi non vestræ,
 meæ certe infirmitati. Aviditatem quidem vestram tantam
 video, ut semper parati sitis audire : sed duæ res sunt,
 quarum ratio non contemnenda est. Nam et infirmitas cor-
 poris nostri consideranda est, et ipsarum rerum quæ ex-
 ponuntur memoria. Interim quæ audistis cogitate. Quid
 dixi? Quæ manducastis ruminare. Sic enim eritis munda
 animalia, et apta epulis Dei. Fructum autem vestrum in
 operibus vestris advertite. Valde enim male digerit is qui
 bene audit, et non bene operatur : quia Dominus Deus
 noster non deest pascere. Notum est omnibus, quia de
 pane quem accepimus, et quem erogamus, reddituri su-
 mus rationem. Optime novit Charitas Vestra; non enim
 tacet nobis pagina divina, aut adulatur nos Deus. De isto
 loco quam liberi simus ad vos, potestis advertere : et si
 forte ego minus liberi sum, vel omnes qui in hoc loco vobis
 loquuntur, si minus liberi sumus. Certe ipse sermo De-
 neminem timet. Nos autem sive timeamus, sive liberi si-
 mus, eum cogimur annuntiare, qui neminem timet : hoc
 vobis non homines, sed Deus præstitit, ut et per timidos
 liberum audiat. Excusationem in judicio Dei non habe-
 bitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, et eorum
 quæ audistis tanquam pluvie fructum congruum dede-